

Z c
5029



PROGRAMMA
in funere
MATRONAE NOBILISSIMAE
MARGARETAE BARBARAE
NATAE
WIDMARCTERIAE
desideratissimæ coniugis

V I R I
MAGNIFICI ATQVE EXCELLENTISSIMI
NICOLAI CHRISTOPHORI
LYNCKERI

HEREDITARII IN FLVRSTAET ET KOETSCHAV
CONSILIARII SAXO-VINARIENSIS INTIMI
COLLEGII IVRIDICI ET SCABINATVS
ORDINARII PRAESIDIS, ANTECESSORIS
ET CVRIÆ PROVINCIALIS ASSESSORIS
PRIMARII

P.P.

IN ACADEMIA IENENSI.

A. D. XX IANVAR. CIO IOC XCV.

LITTERIS IOH. ZACH. NISII.

RECTOR
ACADEMIAE IENENSIS
RVDOLPHVS GVILIELMVS
CRAVSIVS

PHIL. ET MED. D. PRACT. ET CHIM. PP.

COLLEGII MEDICI SENIOR

ET h. t. DECANVS

IVXTA CVM PROFESSORIBVS RELIQVIS

S. D.

CIVIBVS.



Ingens DEI bonum est, vxor pia, casta, prudens: quæ in coelis gaudium, in terris omne felicitatis genus præstat. Quid enim potest angelis gratum esse magis, quam adesse hominibus, per obsequia sua pronis, ad cultum diuinum? Quid optatur magis a cunctis, quam esse cum illis, quibus bona mens placet ac virtus? Agit cum marito concors, ac lætatur quoties fert occasio, per secunda & benigna tempora: afficitur contra, sensu eodem cum illo, in dubiis ac tristioribus, ita tamen vt sit potius solatio, quam vt augeat incommoda. In domo præest singulis, ac prouida curat diligentia, ne quid desideretur in iis, quæ ad se pertinent: labores dispensat ac munia, ne quid in familia per desidiam admittatur. Exemplo reliquis est, cum quibus viuit, in communi societate, siue intersit sacris, & colat DEVM, sincera attentione ac religione, siue versetur extra sacra cum aliis, proba vndique, moribus emendata, nemini molesta, propter dotes eximias admiranda omnibus. Vidimus per quattuor prope lustra, & in virtutibus, vltra sexum præclaris,

ris, venerati sumus, matronam incomparabilem, MARGARETAM BARBARAM LYNKERIAM: quæ dum anni nuper cœpti primordia, in templo per meditationes ac preces auspiciatur, morbo tentari cœpit, vnde non diu post, obitu nimis immaturo, nobis erepta est. Atqui hæc ipsa est, quæ mensuram implevit vxoris nunquam satis laudatæ: quæ bonis & honestis in memoria erit, donec superstant: quæ posteris ad instar commendabitur. DEO gratam fuisse, intelligimus facile, quod in eam contulerit tot bona cœlestia, & foris melioris euentum præstiterit, vbi modo res suas curabat, atque augebat. Si enim ex voto succedunt, & incrementa habent, quæ domi suscipimus ac foris, ad commoda nostra, tunc vero in his æterni numinis benignitatem agnoscamus, necesse est. Qui sunt in academia & vrbe, sine studio vanitatis dolent amissam, propter vitæ decora, & moris inculpati celebritatem. Erant, qui veram in ea pietatem suspiciebant, & christianæ virtutis exemplum, in quod non tantum intuebantur ipsi, sed & imitationem inter suos præcipiebant. Nulla habitum tam egregium inquinabat ambitio, nulla regnabat iuperbia, in honoribus iure competentibus: æquanima, comis, prompta erga omnes, mente, sermone, & gestu adeo difficilis nulli. Pauperes lugent beneficam, personæ in primis bello exiliove pressæ: quæ propius cum ea fuerunt, coniunctæ ex necessitudine, fatum acerbum deplorant. In domo cœlum implent gemitu, mœstus coniugii recordatione viduus, inconsolabiles iactura matris filii filiaque, reliqui de familia conficiuntur mœrore, nec verba inueniunt, quibus orbitatem suam exprimant. Ita vero in lethali ictu se habent, quibus amor & felicitas perit, contra spem & opinionem. Nos interea virtutis excultæ, nec imitabilis monumentum habituri, seriem vitæ rotius contemplabimur. Isenaci primum edita est in hanc lucem, sede principum antiqua, nutrice & patria magnorum hominum, de ecclesia orthodoxa & republica optime meritorum. Patens beatus fuit, nobilissimus & experientissimus vir, BALTHASAR WIDEMARKTER, Doctor medicus, archiater in aula, & phycus ordinarius in vrbe. Celebris ista stirps in terris illis, præsertim ob singularia ornamenta, in pace belloque, CASPARIS WIDMARKTERI: qui in collegio Harcourtiano, Lutetiæ Parisiorum deposuit militiæ tyrocinia, fortis deinceps ac fortunatus in castris HENRICI IV, cuius gratia tam constanter vsus est, vt ipsum ad consilia Martis dubia sæpius adhiberet, inque federatum Belgium, ac magnam Britanniam mitteret legatum: vbi insignia equestria, a IACOBO VI rege, windsœræ inspectantibus totius aulae proceribus, anno vndecimo sæculi labentis cum gloria adeptus est. Ex his regnis ad suos redux, in Hassiaca aula Castella-

na

na pari virtute, pari nominis honore eminuit. Mater erat nobilissima femina, CHRISTINA SOPHIA, vnica quondam filia amplissimi viri, HENRICI MARTINII, præfecti in quæstura Cruciburgensi: qui natus ex GERTRUDE, filia IOANNIS BACHOVII ab ECHT, Colonienſis patricii, ac demum conſulis in vrbe Iſenacenſi. Non afferuntur iſta, vt propriæ virtuti defunctæ ſplendor concilietur aliunde, ſed vt maiorum pie reminſcamur, eosque hac occasione pro meritis celebremus. Antea ſeruauimus noſtræ ſupremum honorem, in laudibus natiuis, quas heic declaramus poſtortum, ſibi vbique ſimiles. Indoles ei conceſſa diuinitus, ad honeſtatem & timorem DOMINI, vnde mox emerſit cum annis, vt aut paria faceret, aut ſuperaret æquales. Sic vero in ſe conuertebat meliores, per boni euentus teſſeram: quippe eam anno MDCC LXXVI, A. D. XXII MARTII, vir magnificus atque excellentiſſimus, NICLAUS CHRISTOPHORVS LYNKERVS, I. C. hereditarius in Flurſtat & Koerſchau, conſiliarius Saxo Vinarienſis intimus, collegii iuridici ac ſcabinatus præſes ordinarius, antecellor & curiæ prouincialis aſſeſſor primarius, illo tempore in aula Saxo Iſenacenſi conſiliarius, collega noſter honoratiſſimus, domum ducebat: & mediocri ſpatio interiecto, poſt locum ſenioris in laudato collegio iuridico, a SERENISSIMIS ACADEMIAE NVTRITORIBVS clementiſſime datum, cum eadem ad nos commigrabat. Ex hoc tempore, per duratura vitæ elogia, magis magisque inclaruit exemplar matronarum, ac decus feminei ſexus præcipuum. Non addimus verbum, in communi omnium conſenſu. Solatia viduo, ſolatia filiis tribus, ac tot filiabus ſuperſtitibus, in tanta orbitate excogitare deberemus? Verum & iſtis profuturum eſt exemplum domeſticum, quod in horis ac ſacris quotidianis præbuit, quod extra domum in ſplendida legatione Vienneniſi, ad aulam Cæſaream, quod in periculis & obuiis quibusque aduerſis, per fidem, amorem, & ſingularem in DEO fiduciam reliquit. Sed neque morbo correpta, qui in acuto dolore capitis, & fatali corporis fluxi infirmitate conſiſtebat, aliter comparata fuit vſque ad exceſſum: quia inter ardentia circumſtantium vota & preces, bene moriendi exemplum dedit, præparata ſemper, DEOque coniunctiſſima. Placide autem exſpirauit ante octiduum, mane ante ſacra ſolennia. Vos, o noſtri, vt in exequiis tam funeſtis, iuſta ſimul faciatis, exorandi ſollicite non videmini, propter virtutes beatiſſimæ, quæ cunctis manent in pretio, & propter lugentis merita in vos ipſos. In templo S. Michaelis oppidano inferetur tumulo, ibidemque ſacra funebria more apud nos recepto peragentur. P. P. A. D. XX IANVARIII, MDCC XCV.

70



PROGRAMMA

MARGA... BARAE

WII... IAE
de... gis

MAGNIFIC... ENTISSIMI
NICOLA... PHORI

HEREDITAR... KOETSCHAV

CONSILIA... INTIMI

COLLE... BINATVS

ORDINAR... CESSORIS

ET CVRI... SESSORIS

IN A... TENSIS.

CV.

